



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

34. An Inquisitores possint torquere reum, qui non vult respondere
interrogationibus? Ex part. 4. tr. 6. res. etiam 34.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

quod etiam docet Pegna in direct. Inquis. part. 3. com-
men. 67. Zanard. in direct. Inquis. part. 3. cap. 65. Deltrius
in disquis. mag. lib. 5. sect. 15. §. dico tertio. Sed difficultas
est, an quando reus torquetur non solum super inten-
tione & complicibus, sed etiam super facto, an si ne-
gativus persistat in tortura, sit adhuc aliqua poena
extraordinaria puniendus? sed ad hoc respondemus in
seq. resolutione.

3. Non desinam tamen hic adnotare quodd secun-
dum Gomez tom. 3. var. cap. 13. n. 20. Covarr. prael. 99.
cap. 23. n. 5. Suarez de Paz in praxi tom. 1. part. 5. cap. 3.
§. 12. n. 10. & alios, si reus torqueretur stantibus legi-
timis probationibus, negatque delictum, & iudex prius
protestationem non fecerit, adhuc probationes legi-
timae non eliduntur; sed communis opinio, ut dixi-
mus, est in contrarium, & ideo semper in tali casu ap-
ponitur clausula, circa prejudicium probatorum.

RESOL. XXXIII.

An tortus, & negativus possit puniri ab Inquisitoribus poe-
na extraordinaria?

Et in dicto casu, si post torturam fuit iterum interrogatus
extratortum, de delicto, & inventus est varius, an
ex illa variatione poterit iterum torqueri? Ex p. 4. tr. 6.
Res. etiam 33.

§. 1. **H**ic casus frequenter accidit, & affirmativè vi-
detur respondere doctus Inquisitor Didacus
Cantera in 99. crim. cap. 2. de probat. per testes, quest. 1.
num. 65. ubi sic ait: Aut per torturam fuerunt purgata
indicia, quia secundum qualitatem delicti, & indicio-
rum fuit tortus, & tunc credo, quod debeat absolvi,
aut tortura non fuit sufficiens ad purganda omnia in-
dicia secundum qualitatem delicti, & indiciorum ip-
sius personae tortae, & tunc non purgabit in totum,
sed aliqua poena arbitraria puniendus secundum arbi-
trium iudicis, & ita scribatur propter qualitatem cri-
minis in crimine hæresis, nam qui semel est infamatus
de delicto, & est aliqua probatio de eo, nunquam satis
purgatur ad torturam, & sic imponitur aliqua poeni-
tencia arbitraria Hæc Cantera; sed infra illum expli-
cabitur.

2. Verum circa præsens difficillimum dubium
adeq. determinatio nostrae Instruct. Toletanae an. 1561.
ubi numero 54. sic habetur, [Si el Reo venciere el
tormento deven los Inquisidores arbitrar la calidad
de los indicios, y la clidad, y forma del tormento, y la
edad y disposicion del atormentado, y quando todo
considerado pareciere, que ha purgado sufficientemen-
te los indicios absolverle han de la instancia aunque
quando por alguna razon les parezca no fue el tor-
mento en el devido rigor, consideradas las dichas ca-
lidades podranle imponer abjuracion de levi, & de ve-
hementi, o alguna pena pecuniaria, aunque esto no
se deve hazer sino con grande consideracion, y quan-
do los indicios no se tengan por sufficientemente pur-
gados.] Sic ibi. Et ideo quando indicia fuerunt gravia,
& valde urgentia, non purgantur per torturam, quoad
poenam extraordinariam, ut probat Aloysius Riccius
part. 1. decis. 73. num. 8. Petrus Binsfeldius de malefic.
leg. 7. quest. 1. conclus. 16. Bossius tit. de Inquisi. nume-
ro 30. & Iul. Clar. quest. 64. num. 38. ubi sic ait:
Apud nos autem quandoque etiam post gravem tor-
turam, & perseverantiam rei in negatione, ubi indicia
sunt valde urgentia, solet Senatus reos condemnare,
non quidem ad poenam ordinariam, sed extraordina-
riam, puta trirremium ad tempos. Ita illi; quorum do-
ctrina maximè procedere debet in crimine hæresis,
propter ejus enormitatem.

3. Sed ego, quicquid sit in aliis criminibus, quan-

do adsum in sacro Tribunali, in aliquo casu occu-
renti, si reus fuit tortus cum plurquam semiplena pro-
batione, semper sum hujus voti, ut non absolvat
simpliciter ab instantia, sed aliqua poena arbitraria
puniat, nisi aeris tortura censetur evacuasce etiam
omnia indicia; & in hoc casu amplector opinionem
Cantera, nec ipse in loco supra allegato, aliter docere
voluit, ut patet penes ipsum in q. 22. de res. num. 12.
ubi asserit, quod quando reus torquetur cum semi-
plena probatione tantum, tunc si sit negativus, ab-
solvendus est; si vero fuit tortus cum plurquam se-
miplena probatione, tunc si tortus vincit torturam,
purgantur indicia usque ad semiplenam probationem;
pro reliquo vero potest imponi aliqua poena extraor-
dinaria, & testatur ibi ipse Cantera hanc opinionem
communiter observari in officio S. Inquisit. Hispan.
& ita intelligenda esse putat verba supradictae instru-
ctionis Toletanae, quod est valde notandum à DD.
Inquisitoribus, penes quos plus auctoritatis debet
haberi unus Cantera, quam decem alij Doctores
Criminalistae, maxime cum testetur de praxi Tribu-
nalis.

4. Ex his omnino refellendus est Patamus de orig.
Inquisit. lib. 3. quest. 4. num. 6. ubi absolute docet, quod
si delatus exponitur tormentis, & sustinet illa nihil
confitetur, absolvens est ab instantia, non, inquam,
hæc opinio est admittenda simpliciter & absolute,
nam est contra dictam instructionem Toletanam, &
in tali casu observanda sunt ea, quae prudenter dicta
instructio considerat. Vnde Menochius, quem citat &
sequitur Baiardus in addit. ad Iul. Clar. quest. 64. n. 115.
asserit, quod quando indicia purgantur per torturam,
remititur arbitrio iudicis; non bene igitur dixit Pa-
ramus absolute, quod tortus negativus purgat indicia.
Scio Simancam in Cathol. instit. tit. 65. num. 74. docere,
quod si reus in questionibus pernegaverit, purgat
omnia præcedentia indicia, sed interpretandus est sano
modo, nempe si indicia arbitrio Inquisitorum erant
talia, ut per torturam censentur purgata, aliter ejus
opinio esset contra instructionem Toletanam. Vnde
Suarez de Paz in praxi tom. 1. part. 5. cap. 3. §. 12. n. 22.
ex Barthol. Cifuentes, & Gomez concedi posse
iudicem ratione indiciorum, vel presumptionum
damnare reum tortum & negativum aliqua poena ar-
bitraria.

5. Notandum est etiam hic obiter, quod Marfilus
in prael. crim. §. quoniam, num. 26 asserit, quod quando
tortus fuit negativus, & evacavit indicia, si post
torturam fuit iterum interrogatus extra tormentum de
delicto, & inventus varius, quod ex illa variatione po-
terit iterum torqueri; sed hæc opinio non est tenenda,
quia indicia supervenientia debent esse majora & va-
lidiora, & illa sola variatio non est talis, & alia indicia,
quæ præcedebant, fuerunt purgata per torturam, de in-
de purgatis indicis amplius reus non est interrogan-
dus, ergo, &c. & ita docet Anton. de Ballis in tract.
var. lib. 2. q. 17. n. 12. & seq.

RESOL. XXXIV.

An Inquisitores possint torquere reum, qui non vult
respondere interrogationibus? Ex part. 4. tract. 6. Res.
etiam 34.

§. 1. **A**ffirmativè respondeo, unde in tali casu de
rigore juris Inquisitores possunt ponere il-
lum ad torturam, & cogere ut respondeat affirmativè,
vel negativè, & ita tenet Bald. in l. accusationem, post
num. 11. C. qui accusare non poss. &c. ut dicit ibi Baldus,
talis tortura non datur reo ad eruendam veritatem,
quia ad hoc necesse esset, ut præcederent indicia ad
torturam

torturam sufficientia, sed datur ad extorquendam confessionem; quam Baldi opinionem in contingentia facti approbavit Concilium Neapolit. ut testatur Capycius decis. 145. & hæc omnia docet Brunus tract. de indic. 9. §. num. 4. Caravita riuu 259. num. 14. Miranda in ordine judic. tom. 2. §. 26. art. 4. conclus. 5. Gomez 10. 3. variat. cap. 12. num. 5. Clarus lib. 5. §. final. quast. 45. num. 6. Mascardus de probat. lib. 3. conclus. 1385. num. 15. & Soula in aphorism. Inquisit. lib. 2. cap. 39. num. 48. Vmbertus Locatus in praxi Inquisit. ver. Tortura. §. & scias etiam Cartharius de interrog. reor. lib. 3. cap. 2. num. 3. Ludovicus Peguera in praxi cap. 12. §. 5. num. 26. licet ipse asserat se non vidisse in praxi hanc opinionem à iudiciis admitti, si tamen in aliquo loco addit, putat esse optimam & laudabilem; unde in hoc casu Inquisitor sequatur praxim suæ Inquisitionis.

RESOL. XXXV.

Quem modum torquendi debeant Inquisitores adhibere cum reis, & quomodo; & de tormento ignis ad pedes adhibito? Et p. 4. tract. 6. Ref. etiam 35.

§. 1. **N**on debent recedere, saltem in hoc Regno Siciliæ, à tormento funis, videtur enim approbatum consuetudine & jure communi, ut in l. nullus, ibi, fiduciarum tormenta, & ibi glossa & Salicetus, C. ad l. majest. Sed quomodo tale tormentum dandum sit, docet Simanca in Cathol. insit. tit. 65. n. 62. sic enim ait: Considerare iudices debent qualitatem personarum, criminum, & indiciorum, aliter enim torquendi sunt servi quàm liberi, fortes quàm timidi, juvenes quàm senes, robusti, quàm debiles, humiles quàm honesti, nobiles, quàm ignobiles, hi enim elementius, illi durius torqueri debent. Sic ille, & post illum Suarez de Paz in praxi tom. 1. part. 5. cap. 3. §. 12. num. 65. & Villagut. in praxi. can. lib. 7. cap. 3. conclus. 1. & 2. & novissimè Sanchez in opusc. tom. 2. lib. 6. cap. 3. dub. 15. num. 2. vide etiam Gomez tom. 3. var. cap. 13. n. 5. & Mirandam in ordin. indic. tom. 2. quast. 26. art. 15. conclus. 3. Soulam in aphorism. Inquisit. lib. 2. cap. 39. num. 30. juncto num. 25. ubi sic ait non sunt omnes rei æqualiter torquendi, sed magis, vel minus, secundum qualitatem personarum delicti, & indiciorum, nec in modo torquendi, & in tempore immoderate debet reum torquere, nisi per horam ad summum, nec regulariter fiant plures quassationes, seu ictus, quàm tres, ita Soula. Vide etiam Deltium in disquis. magic. append. 2. lib. 5. quast. 24. & Guazzinus tom. 2. lib. 1. defens. 30. c. 20. per tot. Sed in praxi visum est quòd ex multis reis ita tortis nemo confitebatur, ideo in tali casu regulariter amplius hoc tormentum in magna Regia curia non adhibetur. Hinc etiam factum est multis adhuc annis, ut in sacro Tribunali hujus Regni etiam DD. Inquisitores amplius hoc tormento non utantur, sed quando rei ex aliquo impedimento non possunt torqueri, illos puniunt pœna extraordinaria, cum abjuratione, propt. delicti qualitas & probationes exposcunt.

RESOL. XXXVI.

An Inquisitores debeant torturam adhibere Clericis non infamatis, sed tantum indicatis?
Et in casu occurrenti, an mitius torquendi sint clerici, quàm laici?
Et an, quando datur tortura Ecclesiasticis, non laici, sed Clerici debeant illos torquere?
Et an Clericus debeat admitti ad Canonicam purgationem. V.

nem, quando est gravatus indicis ad torturam, vel debeat torqueri? Ex p. 4. tract. 6. Ref. etiam 36.

§. 1. **N**egativa sententia suadet per ea, quæ adducit Didacus Canteria in quast. crim. quast. 51. de reo num. 1. Bernardus Diaz in praxi. crimin. cap. 125. Damhauderus in praxi. crimin. cap. 37. num. 25. Maceratenis var. resol. lib. 3. resol. 44. cas. 4. M. 4. Guazzinus tom. 2. lib. 1. defens. 30. cap. 1. num. 7. Eugerius consil. 76. n. 103. Decianus vol. 4. respos. 124. num. 38. Maritus in praxi. crimin. §. nunc videndum, num. 51. & in §. ex prædicta, num. 40. & singul. 55. Bossius tit. de indicis, num. 15. Ioan. Gratianus in regulis & fallentis, reg. 226. n. 91. Cassaneus in consuet. Burgund. rubr. 1. §. 5. num. 6. & alij asserentes, quòd si etiam mille essent indicia contra Clericum, sed non esset de crimine diffamatus, non posset torqueri; & quidem hæc opinio est probabilis, & satis pia, & multum favens statui clericali, quam novissimè docet etiam Eymericus à Rosbach in praxi. crimin. tit. 5. cap. 22. num. 2.

2. Sed his non obstantibus affirmativam sententiam tenendam esse puto in casu hæresis maxime, & illam tueretur ex nostris Pegna in direct. Inquisit. part. 3. comment. 110. tit. F. Simanca in cathol. insit. tit. 65. num. 48. & Ludovicus Miranda in ordine judiciario tom. 2. quast. 26. art. 2. conclus. 2. Ignatius Salzedus in praxi. crimin. Bernardi Diaz. ubi supra lit. A. Petrus Caballus centur. 2. cas. 84. num. 20. & Michaël Zanardus in direct. Inquisit. part. 3. cap. 95. fol. 513. ubi fit ait: Et si Clericus non possit torqueri nisi sit de crimine diffamatus, ut supra, diximus tamen in hęc crimine hæresis ad eum torquendum sufficient legitima indicia, quia crimen est exceptum, & sumus in majori periculo in Clerico & Doctore, qui magis possunt alios lædere, labèque hæreticali inficere, quàm laici, qui per pravitatem hanc propter eorum ignorantiam ita de facili non possunt alijs damnum inferre. Ita ille, quod etiam confirmatur, nam dato, quòd infamia ad Clericum torquendum sit necessaria, hæc sanè sufficiens oritur ex semiplena probatione aliisque indicis, quæ eum suspectum, & infamatum reddunt, ergo, &c.

3. Verum licet hæc opinio vera sit, advertant tamen Dom. Inquisitores; quòd in casu occurrenti mitius torquendi sunt Clerici, quàm laici, & ita tenet Pegna, Maceratenis, Miranda, Salzedus locis citatis, quod intelligendum est, cæteris paribus, stante eadem qualitate delicti, & indiciorum, ut rectè observat Michaël Zanardus in direct. Theor. part. 3. cap. 94. fol. 510. & ideo dixit Soula in aphor. Inquisit. lib. 2. cap. 35. n. 32. quòd Ecclesiastici, nisi delicti enormitas id postulaverit mitius, torquentur, non desunt tamen, ut observat Caballus centur. 1. cas. 85. num. 18. Doctores contrarium tenentes, & ita tenet novissimè Ant. Quevedo lib. de indic. part. 1. cap. 12. n. 17. sed tu ne discedas à prima opinione.

4. Nota etiam quòd secundum aliquos Doctores, quando datur tortura Ecclesiasticis, non laici, sed Clerici debent illos torquere; sed hoc non observatur in nostro Tribunali, & ideo Didacus Canteria in q. criminal. 9. tit. de reo, n. 1. in fine, sic ait. Vnum solet servari, quòd quando datur tortura Clerico, non solet dari per laicum, sed per alium Clericum; ego tamen contrarium vidi praticari tam in judicio S. Inquisitionis, quam in judiciis alijs Ecclesiasticis. Ita ille.

5. Et tandem nota quòd Clericus non debet admitti ad canonicam purgationem, quando est gravatus indicis ad torturam, sed debet torqueri. Ita Guazzinus tom. 2. lib. 1. defens. 30. cap. 10. num. 6. & alij; est tamen verum, quòd indicia ad torquendum Clericum non debent esse indicia ordinaria, quæ sufficiunt contra laicum, sed requiruntur graviora, & urgentiora, propter illam